



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 9. Quid notandum sit circa illum, qui dicit se ex metu reverentiali fecisse professionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

2. Ex Jure Canonico, Cap. *si qua mulier*, & Cap. *non liceat*, 19. q. 3. 3. Ex S. Gregorio l. 7. Epist. 7. item disertissimè ex *Salviano* l. 3. contra avaritiam.
4. Rationibus manifestis in aperto jure fundatis. Atque ex his sequitur aliquem, qui Religionem init, non ideo posse privari pensione annuâ sibi assignatâ in bonis donantis, uti rectè idem *Less.* in auct. v. *Religiosus* cas. 1.

Quid dicendum sit, si Bertæ promittantur 100, si nubat, ipsa autem fiat Religiosa, resolvimus l. 3. p. 2. n. 600. Si autem promittantur sub conditione, si non ineat Religionem, resolvimus ibidem n. 1140. Denique si promittantur 200, si nubat, & 100, si fiat Religiosa, resolvimus ibidem n. 1141., quæ videri possunt.

52 Q. 9. Quid notandum sit circa illum, qui dicit se ex metu reverentiali fecisse professionem. R. Quamvis metus reverentialis cum importunis precibus conjunctus pro foro conscientiæ censeatur sufficiens ad rescindendos contractus, uti colligitur ex dictis l. 3. p. 2. n. 632., & docet *Less.* de statu vitæ elig. q. 8., tamen in foro externo meritò censeatur insufficientis ad irritandam professionem, nisi accesserint minæ, quas minans solitus sit exequi, & tum ex vi talis metus sequatur professio, *Sanch.* de Matr. l. 4. d. 6. *Less.* in auct. v. *professio Relig.* cas. 12., ubi cas. 13. notat, ut talis professio in foro externo declaretur irrita, debere merum illum legitimè probari per testes etiam juratos, uti fit in aliis causis gravibus. Addit quòque rectè *Castrop.* t. 16. d. 1. p. 9. n. 1. quamvis coactio professionem annullat, relinquit tamen valorem novitiatus, quia juxta tantum loquuntur de professione, unde si quis coactus iniverit novitium, si tamen eo expleto liberè fecerit professionem, est valida. Notat etiam *Suar.* T. 3. l. 6.

c. 4. referens plures contra *Less.* de just. l. 2. c. 41. d. 7. professionem non invalidari per metum acceptantis professionem, sed tantum profitentis.

Q. 10. *An Monasterium possit novitium ex- 53*
pletâ probatione sine causa non admittere ad pro-
fessionem. R. Per hoc non peccari mortaliter de-
 cent aliqui, quia sicuti novitius liber est ad profiten-
 dum vel ad abeundum etiam sine causa, ita videtur
 Religio debere esse libera ad admittendum vel re-
 mittendum, aliàs non est utrimque par conditio:
 sed oppositum tenendum est cum *Lugo* de just. d. 9.
 n. 54. aliisque communiter, est enim hoc grave, in-
 primis contra charitatem, quia sine justa causa in-
 fertur novitio grave damnum, eique inuritur gravis
 nota, si dimittatur: deinde tales Religiosi com-
 mittunt gravem defectum in officio sibi demanda-
 to, sunt enim ab Ecclesia constituti Judices, ut pro
 merito vel demerito dicant novitium esse aptum vel
 ineptum Religioni, ergo cum judicent aptum, & ta-
 men rejiciendo, virtualiter dicant esse ineptum, fe-
 runt sententiam iniquam: denique etiam est grave
 contra justitiam, quia novitius per novitiatum be-
 ne expletum acquisivit jus ad professionem, illâ enim
 conditione, & quasi sub hoc contractu subivit no-
 vitiatum, *probate me, & postmodum judicate*
pro merito, ut vel profitear vel abeam, & ita cen-
 setur eum admisisse Ordo, alioquin nemo vellet no-
 vitiatum ingredi, ergo cum ex parte sua impleve-
 rit contractum permiseritque se probari, Ordo ex
 justitia tenetur reciprocè ad suam partem imple-
 dam.

Q. 11. *Si novitius egrediatur vel Religiosus di- 54*
mittatur, an debeat ipse Ordini aut Ordo ipse ali-
quid refundere. R.

§. I. Aliqui dicunt novitium teneri Monasterio
 solvere